

Sophocles Ajac. 524. Οὐκ ἀν γένοιτό ποθ' οὗτος εὐγενῆς ἀνήρ.

Œd. T. 248. Κακὸν κακῶς νιν ἄμοιρον ἐκτρίψαι
βίον.

Philoct. 1288. Πῶς εἶπας; οὐκ ἄρα δεύτερον
δολούμεθα;

apud Hesych. v. ἀντίπλαστον. Τὸν ἀντίπλαστον
ἔχει νόμον κεκρυπτότων.

Horum exemplorum aliqua, quæ videntur esse, non sunt veræ exceptiones. In Prometh. 246. ἐλεεινὸς verbum est Atticis ignotum, qui semper ἐλεινὸς usurpant, alterum ne extra quidem iambos et trochæos. Et tamen quam multo commodius anapæstico vel dactylico metro aptatur vox quadrisyllaba, quam trisyllaba? Trisyllaba est in dactylico metro Sophocl. Philoct. 1130. Ἡ που ἐλεινὸν ὥρᾶς, φρένας εἰ τινας, in anapæstico Aristoph. Ran. 1095. ῥάκι ἀμπίσχων, ἦ
ἐλεινοί, in heroico, Homeridæ Hymn. in Cerer. 283. (264.) Τοῦ δὲ κασίγνηται φωνὴν ἐσάκουσαν ἐλεινήν. Imperiti scribæ, quibus nulla fere metri species, præter Homericam, cognita erat, tantum non omnes Atticas formas in Ionicas mutarunt, ceterorum metrorum securi. Ne longe abeam. Frequens est versus iambici clausula, ὡ μέλε. Verum in hac clausula, ubi librariorum licentiam metrum compescere debebat, MSS. non raro dant, ὡ μέλεε, aut corruptius etiam, ὡ μέλαιε. Porro Atticæ linguæ analogia hanc scripturam flagitat. Ut enim a δέος formatur δεινὸς, ut a κλέος κλεινὸς, sic ab ἔλεος formatur ἐλεινὸς. Ut nunquam δεεινὸς, κλεεινὸς usurpant Attici, sic nunquam ἐλεεινὸς usurpant *. (F) In

* Eadem est ratio adjectivorum πετεινὸς et πετεεινὸς. Hoc poëticum est, illud Atticum.